

humanae reatu: ut ad cuncta caritatis opera reparemur, et quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces. Per Dominum.

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**  
**In Gienn. Lect. A. Miléto. de Comm. unius Mart.**

**In II. Nocturno.**

**LECTIO IV.**  
**E**trus cognomento Paschasius, Valentiae, dum sub Maurorum jugo teneretur, christianis parentibus natus, liberalibus artibus sacrisque disciplinis eruditus, inter canonicos ecclesiae Valentinae ascribitur. Mox erogatis in pauperes amplissimis redditibus, ut se totum pietati converteret, ordinem beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum ingreditur, in quo sub ipso sancto Petro Nolasco magistro adeo exactam vivendi rationem instituit, ut jejuniis et mortificationibus exemplar omnibus esset.

**R.** Honestum fecit.

**LECTIO V.**

**D**einde sacram theologiae profectu publice docuit. Quare Jacobus, primus Arragoniae rex, ejus doctrinae fama per-

mōtus, illum in filii sui Sanctii Archiepiscopi Tolétani, qui et eidem ordini, nomen dederat, in praecceptorem et directorem, collato ab Urbano quarto titulo episcopatus Granatensis, delégit. Quo in munere ita se gessit, ut ordinem suum Toléti et alibi mirifice propagaverit, donec defuncto Sanctio, ad Giennensem Ecclesiam omnibus votis praeficitur. In ejus vero regimine, dum ovium sibi creditarum salutem sedulo invigilat, a Mauris captus, in vinculis Granatae jam septuagenarius detinetur.

**R.** Desiderium animae.

**LECTIO VI.**

**V**erum in tanto vitae discrimine, aerumnis et calamitatibus pressus, summa constantia catholicam religionem tueri, fidelisque in ergastulis misere detentos, opibus et pecuniis in propriam libertatem pluries paratis juxta: ac pueros et feminas in animae discrimen ob aetatis vel sexus imbecillitatem proclives, contempta propria salute redemit. Cumque inter infideles ipsos non praetermitteret catholicam religionem propugnare, ac Saracenorum errores

doctissimis commentariis confutare, ipsum Granatae, dum Sacra operatur, obtruncari rex Mahometanus jubet. Martyris sui sanctitatem multis Deus miraculis illustravit, diuque a fidelibus veneratione habitum, Clemenis decimus Pontifex maximus ecclesiastici cultus decreto decoravit.

**R.** Stola jucunditatis.

**In iij. Nocturno, Homil.**  
**Quia Dominus ad Redemptor. de Comm. ij. locos.**

**Vesperae de sequenti.**

**Commem. praecedentis.**

**DIE XXIII. OCTOBRIS**

VEL ALIA DIE.

**SS. Servandi et Germani**

**Martyrum. Duplex.**

**In Gadit., ubi Patronus.**

**Duplex j. classis cum Oct.**

**Omnia de Communi plurimorum Martyrum, praeter sequentia.**

**Oratio.**

**O**mnipotens sempiternus Deus, qui sanctis fratribus Servando et Germano mirabilem fidei constantiam tribuisti, concede propitius, ut qui tantorum Martyrum patrocinio fruimur, eorum perpetua intercessione roboreremur. Per Dominum.

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In Gadit. Fratres, Debitorum. de Communi.**  
**In II. Nocturno.**  
**LECTIO IV.**  
**Ex Martyrol. et Breviario Hispano.**

**S**ervandus et Germanus, fratres, patrum Marcello Legionensi viro, non solum martyrio, sed et felici duodecim filiorum sobole praclaro, matre Nona sanctissima femina nati sunt. Hi ab ipsis incunabulis christianam religionem cum sanctissimis moribus a piis parentibus alte imbibierunt. In ea ergo sanctisque ejus officii sese strenue exercentes, Christi gloriam nomenque palam confitebantur. Saeviente autem eo tempore persecutionis in Christianos procella, comprehensi et ad praesidem adducti, generosa libertate Christianos se professi sunt. Rogati, ut desisterent, et thura diis offerrent, sic salvos et magnis honoribus auctores, responderunt: sibi in Christo satis honoris, et divitiarum depositum esse, eique ut Deo vero, non falsis simulacris, cultum delaturus. Iratus juxta eos variis et exquisitis cruciatibus torqueri jubet: sed non potuit



constantem juvenum indolem a proposito dimovere: fundati enim erant supra firmam petram, et invicti patris et tot domesticis exemplis confirmati: magna ergo cum gloria ex eo certamine Confessorum titulum reportarunt.

**R.** Sancti tui.

**Leccio v.**

**P**ace interim Ecclesiae reddita, multo liberius Christum profitebantur: multos ex impietate ad fidem reducabant, alios in ea confirmabant: in idola, et nefaria Gentium sacra aperte ac libere invehantur, ea ubicumque inventa profliganda curabant: multis fortitudinem fidei admirantibus, et eorum exemplum sequentibus, quod viros sanctissimos in Christi nomine daemones e corporibus obsessis ejicere, aegris sanitatem reddere, et multis aliis miraculis inclarescere viderunt. Novo autem imperatorum edicto iterum Ecclesiae pace turbata, Christi athletae iterum ad provinciae praesidem rapiuntur, qui eos flagris saevissimis caedi, et ferreis pectinibus excarnificari jubet: nec sic tamen alte insitam fidem ex illorum

animis revellit: imo in media tormentorum acerbitate magno cum gaudio et Christi laudes, et idolorum infamiam praedicabant.

**R.** Verbera carnificum.

**Leccio vi.**

**D**ecrevit autem praetores ejus causae cognitionem referre ad vicarium praefecti praetorii, qui tunc erat in provincia Tingitana. Arrépto ergo longo et difficili itinere, sanctos fratres secum pergere jubet, qui nudis pedibus, gravi catenarum onere impediti, molestiis et contumeliis maximis affecti, fame sitique pene enecati eum sequuntur. Quas incommoditates æumnasque æquissimis animis pro Christo ferendas duxerunt: et eo quidem libentius, quod eas ipsas et Marcéllus pater, et fratres Hemethérius, et Celedónius, eo ipso itinere, et eadem de causa antea ducti, suo exemplo ipsis leviores fecissent. Perventum tandem est ad vicum Gaditani conventus, nomine Ursonianum, in quo cum allata esset Viatonis vicarii sententia, securi percussi in caelum migrarunt decimo Kalendas Novembris. Germani corpus (ut refert

sanctus Isidorus) Gadibus sepultum, postea Emeritam transportatum est. Corpus autem Servandi Hispalim translatum, inter sanctas Virgines Justam et Ruffinam reconditum est; cujus reliquiae in Hispalensi ecclesia hodie religiose asservantur, et in hierotheca per anniversariam amborum celebritatem populo ostenduntur.

**R.** Tamquam aurum.

**In iij. Nocturno, Homilia.** Advérte omnia. **de Communi ij. loco.**

**R.** vij. Hæc est vera. **Vesperæ de sequenti, Commem. præcedentis.**

**DIE XXIV. OCTOBRIS.**

**S. Raphaelis Archangeli, Duplex.** **Omnia ut in fine Breviarii.**

**EADEM DIE XXIV.**

**S. Bernardi Calvo Episc. et Conf. Duplex.**

**In Diocesisibus Ebusensi et Vicensi, Dupl. ij. class. Omnia de Communi Conf. Pontificis, præter sequentia.**

**Oratio.**

**D**eus, qui beatum Bernardum Confessorem tuum atque Pontificem fidelem in Evangelio Filii tui ministrum in Ecclesia tua constituisti

dirige in caritate tua et confirma corda nostra, ut et in fide inveniamur stabiles, et in opere efficaces. Per Dominum nostrum.

**Commem. præcedentis.**

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In Dioc. Ebus. et Vincen. Fidelis sermo de eodem**

**Communi j. loco.**

**In II. Nocturno.**

**Leccio iv.**

**B**ernardus, cognominatus Calvónius, a Manso

Calvo, ejus natali solo, Tarraconensis diocesis, in Catalaunia sacris litteris summopere deditus, in theologum consummatum evasit, nunquam ad libros, nisi ab oratione transire solitus. Cum jam insigni pietatis, doctrinae, virtutumque omnium splendore præluceret, a pluribus Episcopis optabatur, ut in suis Ecclesiis Canonicus eligeretur: ipse autem ad sacram solitudinem tantum aspirans in monasterio de Sanctis Crucibus, Cisterciensem ordinem ingressus est. Multis a professione monastica in omni virtute transactis annis, Abbas eidem cenobio est praefectus, ut ceteris suae doctrinae et virtutis exem-



plo præiret. Ad viri Dei imperium creaturæ, tum irrationales, tum etiam insensibiles, naturæ vim cohibebant; prophetiæ spiritu afflatus, plura humanæ cognitioni prorsus impervia prædicebat.

**R.** Inveni.

**Lectio v.**

**C**UM in ipsum aliquando nonnullæ mulieres procaces oculos inieciissent, ejusque pulchritudinem, dentiumque candorem immòdice commendassent, castitatis, et pudicitiae studiosissimus, in se ipsum sæviens et indignatus, divino Spiritu impellente, dentes sibi lapide confrégit, nullum detrimentum in esu et in concionibus ex ea læsione perpessus. Virtutibus itaque et signis Bernardus in universa Hispania et Gallia celebris, Ausetanæ, seu Vicénsis Ecclesiæ, invitatus licet et reluctans, et non nisi auctoritate apostolica compulsus, consecratur Episcopus, communi cleri et populi acclamatione. In hac quidem dignitate emicuit Bernardus uti vir vere apostolicus; qui boni Pastoris partes fidelissime adimplens, singulis diebus Dominicis ad populum concionem habebat,

pupillos, et viduas tuebatur, ægris subveniebat, pecunia pauperes, juvenes egenos, scholis adductos elemosynis juvabat, et diocesium propriam sæpe sæpius per seipsum visitabat. A Gregorionono Pontifice máximo, contra hæreticos, tunc temporis per Hispaniam et Galliam grassantes, beatus Præsul, una cum duobus fratribus ordinis Prædicatorum, inquisitor et iudex institutus est. **R.** Pòsui.

**Lectio vi.**

**N**EC his contentus, infidèles plurimos verbo prædicationis ad christianæ fidei cognitionem adduxit, collectoque milite non paucas paganorum urbes expugnavit, in quibus, expulsis Mahometanis, veram religionem stabilivit. Acerrimus existit proprii corporis castigator, et aliquando pro levi culpa suos artus cingulo ferreo tam stricte circumligavit, ut sibimet grave vulnus inflixerit, quod cingulum tamen non nisi cœlitus admontus deposuit. Cum ad propriam sedem sanctus Episcopus revertebatur, multoties urbis campanæ ultro pulsabant, quos si gno cives Pastoris sui adventum agnoscebant,

Inexplèbili caritate indulgens, aliquando tribus uvarum racemis, omnia domus suæ dolia vino replèvit, quod cum singulis diebus inter pauperes abundanter distribueretur, divinitus augebatur: idemque de panibus inter egenos dispensatis interdum evenit. Meritis itaque et virtutibus clarus, anno salutis millésimo ducentésimo quadragésimo tertio, sanctissimam vitam pari morte conclùsit: multis adhuc post obitum coruscans miraculis, ita ut centum et amplius authentice comprobata in Ecclesia Vicénsi facta legantur, et ejus festum Officio ecclesiastico in ea diocesi celebrabatur. **R.** Iste est.

**In III. Nocturno.**  
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vij. Cap. 12.**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua. **Serm. 176. in Cant.**

**I**n Evangelio Dominus illos affirmat esse beatos, quos cum venerit, invé-

nerit, et vigilantes. Boni namque sollicitique pastores impinguare pecus non cessant bonis lætisque exemplis, et suis magis, quam aliènis. Nam si aliènis, et non suis, ignominia est illis, et pecus ita non proficit! Si enim, verbi causa, ego, qui videor inter vos pastoris gerere curam, vobis opposuero Moysi mansuetudinem, patientiam Job, misericordiam Samuelis, David sanctitatem, et si quæ sunt ejusmodi exempla bonorum, immis ipse, et impatiens atque immisericors, et minime sanctus: sermo, ut vereor, minus sapide eveniet, et vos minus avidè capiètis. Verum hoc supernæ pietati relinquo, ut quod minus vobis ex nobis est, ipsa suppleat; et quod perperam ipsa corrigat. **R.** Amavit eum. **Lectio viij.**  
**N**unc vero bonus pastor hoc quoque curabit, ut secundum Evangelium inveniatur habere sal in semetipso, sciens quod sermo sale conditus, quantum placuerit ad gratiam, tantum pròderit ad salutem. Unde qui avide nimis honoribus inhiant, minus pròvide



grávis se. supponunt onéribus, expónunt periculis, nec sciunt ad quid vénerint, sicut scriptum est: Amice, ad quid venísti? Nisi fallor, ad solam civitátis custódiám, ut, quantum satis est, procurétur; opus est viro forti, spirituáli, fidéli: forti, ad propulsándas injúrias; spirituáli, ad deprehendéndas insídias; fidéli, qui non quæ sua sunt quærat.

*R.* Sint lumbi.

*Lectio ix.*

**P**orro autem, ad mores honestandos vel corrigendos, quis non liquido agnoscat, pernecessariam fore cum multa quidem diligentia disciplinæ censuram! Eapropter, omnis cui hoc opus incumbit, oportet ferveat zelo illo, quo accensus præcipuus ille æmulator sponsæ Domini aiebat: Æmulor vos Dei æmulatione: respondendi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Jam quomodo in pascua divinorum educet eloquiorum greges dominicos pastor idiota? Sed et si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita nocet. Témere itaque, et in hac parte hoc onus

súbitur, absque sciéntia páriter vitæque laudábilis Te Deum laudamus.

DIE XXV. OCTOBRIS.

SS. Gavini, Prothi et Januarii

Martyrum Turritan.

Duplex.

Omnia de Comm. plur.

Martyrum, præter seq.

Oratio.

**D**eus qui per beatos Mártires tuos Gavinum, Prothum et Januárium Ecclésiám tuam mirabiliter illustráre dignátus es: concède nobis famulis tuis, ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habere mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Commem. SS. Chrysanthi et Daríæ MM. Añal Vestri capilli. *R.* Exsultábunt.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

**G**rothus Sacerdos, et Januárium Diáconus, Túrribus in Sardinia natí, quo tēmpore Diocletíanus imperátor insatiáblem crudelitátem in Christiános exercébat, Romam profecti, et a Cajo sanctissimo Pontífice ordináti, atque in Sardiniam reversi, fidem

Christi Túrribus prædicábant; Deique grátia aspiránte, plures Gentiles ad veri Dei cultum perduxerunt: inter quos máxime enituit Gavinus Románus miles, ex præclára (ut fertur) Sabelliórum familia. Qua de causa bárbari præsidis jussu comprehénsi, diutúrno cárcere maceráti, in equuleo suspénsi, ferreis úngulis dilaniáti, variisque tormentórum genéribus vexáti sunt: sed, Deo protegente, illæsi ab illis evaserunt.

*R.* Sancti tui.

Lectio b.

**M**OX Prothus Présbyter in Hérculis insulam, quæ Linária vulgo dicitur, tunc nóxiis animalibus refertam, jubente præside deportátus fuit, ut a feris devoraretur; ubi cibo, atque omni humana ope pénitus destitútus, multis calamitatibus vexátus fuit, sed divinis laudibus inténdens, ab eo, qui dat escam esuriéntibus, mirabiliter enutritus, hoc étiam suis precibus impetrásse dicitur, ut omnes nóxiæ feræ in ea insula, ac vicína Sardinia usque in præsentem diem extinctæ omnino fuerint. At vero Januárium júnior donis et blanditiis tentátus ut a

fide deficeret, in bejus confessione immobilis perseverávit. Quare præses novis eum tormentis, simul cum Protho, quem ab exsilio revocáverat, subjécit, et Gavino militi utrúmque tradidit custodiéndum. Porro Gavinus ab ipsis ad Christum conversus, et aqua salutári ablútus, liberos illos dimisit, quod insóntes eos et sine causa victos diceret.

*R.* Verbera carnificum.

Lectio bj.

**I**D cum tyránno innotuisset, suasionibus et illécebris ad idolórum cultum Gavinum revocáre conátus est; quem in suscepta religione constantissimum repertum, capitáli sententia puniri mandávit in portu Balagái, quo loco étiam Prothus et Januárium, qui in suburbáno Túrrium loco latentes, ab ipso Gavino in visu ad martyrii palmam invitáti fuerant, decolláti sunt die vigésima quinta Octóbris. Horum corpóra, tyránno imperante, in mare projecta, mox ab incolis Christiánis juxta littus reperta et in ecclésiá magnificentissime exstructa, ac eórum nómine consecrata, collocata fuerunt, ubi a toto



Sardiniae regno; et præcipue in provincia Turritana, quæ in honorem sancti Gavini mensem Octobris sanctum Gavianum appellat, ingenti concursu, et populi veneratione coluntur.

**R.** Tamquam aurum.  
**In iij. Nocturno, Homilia.** Dominus ac Redemptor de Communi.  
**Lectio ix. de SS. Chrysantho et Daria, aut in Breviario, cum eorum Commem. in Laudibus, Añ.** Istorum est. **V.** Lætâmini.

**DIE XXV. OCTOBRI.**

**VEL ALIA DIE.**

**S. Fructi Confessoris. Duplex.** In Eccl. Segov. ubi Patronus, Duplex j. classis.

**IN I. VESPERIS.**

**Añ.** et **Capitulum de Laudibus, Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostolorum.**

**Hymnus.**

**S**uperba tecta civium,  
Vulgi coronas mō-  
bilis,  
Et detrahentes circulos  
Vitare, Fructe, cogitas;  
Occulta eremi pēnetras;  
Lates cavernis abditus,  
Mundi ut nocentis oculos  
Ut basilisci fūgas.

**T**e solitudo récreat,  
Tranquillitatis sócia,

Vita mundanis hōrrida,  
Cœlestibus gratissimā  
Montis cacumen arduū,  
Per sémitas difficilēs,  
Ascēdis, ut pervēnas  
Virtutis ad fastigium.  
Gloria tibi Dōmine,  
Fecundæ fructus Virgi-

nis,  
Qui ligni vitæ fructibus  
Beatum Fructum reficis.  
**Amen.**

**V.** Amavit eum Dōminus, et ornavit eum. **R.** Stulam gloriæ induit eum.

**Ad Magnif. Añ.** Respexit Dōminus humilitatem servi sui, et magnificavit eum: suscepit eum in pacē, et dedit illi coronam gloriæ.

**Oratio ut ad Laudes.**

**Extra Segov. Comm. SS. MM. ut in Breviario. AD MATUTINUM.**

**Invit.** Laudemus Deum nostrum, \* In confessione beati Fructi. **Ps.** Venite.

**Si hoc Fest. non habeat j. Vesp. Hymn. Superba tecta jungitur cum. Ut montis ad Matut.**

**Hymnus.**

**U**t montis alti vérticem  
Calcare Fructo cōtingit,  
Atque inde tamquam e  
specula  
Videre terræ incōmmoda.

**T**otum Deo se devovet,  
Virtutis armis cingitur,

Corpus premit jejūio;  
Cor pane cœli reficit.  
Munitus his præsiidiis  
Retundit arma dæmonis,  
Mauros furētes territat  
Vir inclytus miraculo.

**Excelsa montis percudit,  
Divisit rupem baculo,  
Profundum vallis cernitur.**  
Terrōre victis hostibus.  
**Gloria tibi Dōmine,**  
Fecundæ fructus Vir-

nis,  
Qui ligni vitæ fructibus  
Beatum Fructum reficis.

**Amen.**  
**In I. Nocturno.**

**Añ.** Plantatus secus decursus aquarum fructum suum dedit, Fructus in tempore suo.

**Psalmi ut in j. Noct. de Comm. Conf. non Pont.**

**Añ.** Constitutus in monte sancto Dōmini, prædicavit præceptum ejus, et gloriā ejus.

**Añ.** Voce mea ad Dōminum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

**V.** Amavit eum Dōminus, et ornavit eum.

**R.** Stulam gloriæ induit eum.

**Lect. de Script. occur. Segov. Justus, de Comm.**

**R. j.** Beatus vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pe-

cunia et thesauris. \* Ideo stabilita sunt bona illius in Dōmino. **V.** Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.

**Ideo.**  
**R. ij.** Fructum deduxit Dōminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum, \* Et complēvit labores illius.

**V.** Magnificavit eum in conspectu gentium, et dedit illi coronam gloriæ.  
**Et.**

**R. iij.** Fructus germīnabit sicut liliū, \* Et florēbit in ætēnum ante Dōminum. **V.** Plantatus in domo Dōmini, in atriis domus Dei nostræ. **Et Gloria Patri. Et.**

**In II. Nocturno.**

**Añ.** Mirificavit Dōminus servum suum Fructum, et exaudivit eum clamantem ad se.

**Psalm.** Cum invocarem, ut in ij. Noct. de Comm. Conf. non Pont.

**Añ.** Admirabile est nomen tuum Dōmine, quia glōria et honore coronasti servum tuum, constituens eum super opera manuum tuarum.

**Psalm.** Dōmine Dōminus noster, **ibid.**  
**Añ.** Dedit mihi pennas columbæ, elongavi sū-



giens, et mansi in solitudine.

**Psalm.** Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris. **ut Feria iv. ad Matutinum.**

**V.** Os justi meditabitur sapientiam. **R.** Et lingua ejus loquetur iudicium.

**Lectio 10.**  
**Ex manuscriptis Ecclesiae Segoviensis.**

**R**uctus civis Segoviensis mundi fugiens illecebras, peccata, quibus implicata erat Hispania, perhorrens, amplissimo patrimonio pauperibus distributo in vastam eremum territorii Septempubliensis secessit. Ubi a saeculi curis abstractus angelicam vitam duxit, duobusque fratribus Valentino et Engratia comitibus adhibitis, monasticam vitam mirifice excoluit. Vix dici potest, quae et quantitas loci asperitas: solum enim accipitribus pervia, juniperis referta, Oasim magnam, vel Libyae solitudines redolet. Ibi vigiliis, jejuniis, et orationibus intentus, pro suis et totius populi peccatis assidue Dominum deprecabatur, corporaque longinedia, cilicio et cameunia in servitum spiritus redacto, in maximam cele-

lestium pervenit contemplationem.

**R.** Cum videm iniquitatem, et contradictionem in civitate, elongavi fugiens, et mansi in solitudine: **\* Ut salvum me faceres a pusillanimitate spiritus et tempestate.**  
**V.** Dedisti mihi Domine domum in solitudine, et tabernaculum meum in terra salsuginis. **Ut salvum me.**

**Lectio 11.**  
**Q**uibus et aliis praclaris virtutibus auctus, Deo dilectus, hominibus carus, Saracenis fidei inimicis infensus esse coepit, quos ille, zelo fidei accensus, a nefaria Mahometi secta opere et sermone avertere conabatur. At illi, universa jam australi Hispania vastata, reliquas civitates, templa, ipsam religionem populabundi, immenso eum occidendi flagrantes desiderio, ad pauperem ejus cellulam accesserunt. Ille autem divina fultus virtute, martyrii cupidissimus, illis obviam factus (Deo sic volente) non solum ictus impiorum evadit, sed rupis interruptione (quae adhuc integra perseverat) elusit, jureque cum Propheta occinuit: Non timebo millia populi

circumdantis me, quia Dominus susceptor meus.

**R.** Omnes gentes circumcuerunt me: **\* Et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.** **V.** Circumderunt me sicut apes in spinis. — **Et in III.**

**Lectio 12.**  
**M**ultis ergo pro Christo exactis laboribus, tandem plenus dierum, provectaque aetatis, annum agens septuagesimum tertium, octavo Kalendas Novembris, anno salutis septingentesimo decimo quinto obdormivit in Domino. Cujus mors quamplurimis est nobilitata miraculis. Multi enim a variis languoribus detenti ejus intercessione pristinam salutem adepti sunt. Inter quae illud est mirabile, quod mulier quae devotionis ergo monachis monasterii (quod ex cellula sancti viri munificentia regia erectum est) inserviebat, ob zelotypiam viri ex altissimo loco praecipit data, incolumis, et illaesa evaserit, magnificans Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis. Unde factum est, ut recepta ex Mauris inclita civitas Segoviensis, et post multa temporum curricula quasi jure postliminii in cathedralem restituta, sub Calixto secundo, anno Domini millesimo centesimo vigesimo tertio, eum Titularem sibi asciverit, de tantoque Patrone gloriatur. Cujus auspiciis ingentia a Domino quotidie percipit beneficia, quem decet gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

**R.** Consolabitur Dominus servum suum, et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. **\* Gaudium et laetitia inveniatur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.** **V.** Laetabitur deserta, et invia: et exsultabit solitudo, et florabit quasi lilium. **Gaudium. Gloria Patri. Gaudium.**

**In III. Nocturno.**  
**Añã.** Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, et requiescet in monte sancto tuo.

**Psalmi ut in iij. Noct. de Comuni Conf. non Pontificis.**  
**Añã.** Desiderium cordis ejus tribuisti ei: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

**Añã.** Innocens manibus, et mundo corde ascendet in montem Domini, et stabit in loco sancto ejus.



Lex Dei eius in corde ipsius. **R.** Et non supplantabuntur ingressus eius. **Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.**

**Lectio vij. Cap. 19.**

**I**n illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua. **Homilia sancti Bernardi Abbatis.**

**Decl. de Evang. hujus verbis.**

**R**bitror verba electionis hujus esse, in quibus ad immortalē sponsum a finibus terrae clamat Ecclesia: Propter verba labiorum tuorum, ego custodi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in univēso mundo et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Egyptum spoliant, et optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus et efficax, convertens animas in felici emulatione sanctitatis, et veritatis promissione fidelium.

**R.** Euge serve bone et fidelis, quia super pauca

fuisti fidelis, supra multa te constituam: et intra in gaudium Domini tui. **R.** Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratum sum. **Intra.**

**Lectio vij.**

**N**am et mundus transit, et tu concupiscentia ejus, et relinquere hæc magis expedit, quam relinquere. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Nimirum quia exsultavit ut gigas ad currendam viam; nec currētem sequi poterat oneratus. Sed nec inutilis commutatio pro eo, qui super omnia est, omnia reliquit. Nam et simul cum eo donantur omnia, et ubi apprehēderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, et eas maxime. Plus enim concupiscentia mundi, quam substantia nocet.

**R.** Vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, Centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. **R.** Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, omnes qui reliqueritis patrem aut matrem, aut agros

propter eum, Centuplum. Glória. Centuplum.

**Lectio ix. de SS. MM. Chrysantho et Darja, ut in Breviario.** **Cum autem transfertur et ubi est Patronus, dicitur sequens.**

**Lectio ix.**

**A**GE ergo, qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. Imo vero maxime et principaliter abnega te ipsum, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum. Pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, terrenam molem. Pone illa quinque, non hominum plane juga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioquin sequi sponsum, et venire ad nuptias spirituales, quæ naria hac pressus et oppressus corporis sensualitate non poteris: sed etsi novissime veneris et pulsaveris, minime profecto aperietur tibi.

**Te Deum laudamus.**

**AD LAUDES.** **et per Horas, Anæ.** **1.** Dicit Fructo, quoniam bene fructum ad inventionem suarum commedet. **2.** Date ei de fructu manuum suarum, et lau-

dent eum in portis operæ ejus. Glória. Centuplum.

**3.** In terra deserta, et in via apparuit mihi Dominus, ut viderem virtutem suam et gloriam suam. **4.** Pinguentem speciosam deserta, et humiles corde benedicent Domino. **5.** Beneplacitum fuit Domino in servo suo Fructo, et exaltavit mansuetum in salutem.

**Capitulum. Ecclesi. 5.**

**D**ilectus Deo, et honoratus, cuius memoria in benedictione est: similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit.

**Hymnus.**

**J**AM plenus annis, et proximus ultimo vite fugacis ultimo. Solvi catenis corporis, et lesse cum Christo vitæ. **Maturus ævo præcoces Offerre fructus appetit, Deoque grates reddere, Ut terra cultori suo.**

**1.** Fructe, flos, et arboris. **Propago fecundissima! Cujus sub umbra civitas Segoviensis recubat. Tuis ob umbra civibus, Ut absit æstus criminis;**



Illisque ut afflet impetra  
Cœlestis aura Pneuma-  
tis. **Et ostendit illi regnum  
Dei.** **Glória tibi Dómine,**  
Fecundæ fructus Virgi-  
nis, Qui ligni vitæ fructibus  
Beatum Fructum reficis.  
Amen.

**V.** Justum deduxit Dó-  
minus per vias rectas.  
**R.** Et ostendit illi regnum  
Dei.

**Ad Benedictus, Añã.** O  
beate Fructe, dulcis pa-  
trone, advocate fidelis!  
Tu gloria Ecclesiæ, læ-  
titia civitatis, honorificen-  
tia pópuli nostri: vere  
fructus terræ, quam visi-  
tavit oriens ex alto.

**Oratio.**  
**A**desto Dómine pó-  
pulo tuo: ut beati  
Fructi Confessoris tui  
mérita præclara susci-  
piens, ad impetrandam  
misericórdiam tuam sem-  
per ejus patrocinii adju-  
vetur. Per Dóminum.

**Extra Segov. Commem-  
simplicis.**

**AD TERTIAM.**  
**Capitulum.** Diléctus, ut supra.  
**R.** Amávit eum Dó-  
minus. **V.** Et ornávit eum.  
Amávit. **V.** Stolum gló-  
riæ induit eum. Et orná-  
vit. **Glória Patri.** Amávit.  
**V.** Os justi meditabitur  
sapiéntiam. **R.** Et lingua  
ejus loquetur judicium.

**AD SEXTAM.**  
**Capitulum.** **Eccli. 45.**  
**I**n fide, et lenitate  
ipsius sanctum fecit  
illum Dóminus, et ostén-  
dit illi glóriam suam, et  
dedit illi coram præcepta,  
et legem vitæ et disci-  
plinæ.

**R.** Os justi, **V.** Medi-  
tabitur sapiéntiam. Os  
justi. **V.** Et lingua ejus  
loquetur judicium. Medi-  
tabitur. **Glória Patri.** Os  
justi.

**V.** Lex Dei ejus in corde  
ipsius. **R.** Et non sup-  
plantabuntur gressus ejus.

**AD NONAM.**

**Capitulum.** **Sap. 10.**  
**C**ustodivit eum Dómi-  
nus ab inimicis, et a  
seductóribus tutávit illum;  
et certámen forte dedit  
ei, ut vinceret et sciret,  
quóniam omnium potén-  
tior est sapiéntia.

**R.** Lex Dei ejus, **V.** In  
corde ipsius. **V.** Lex Dei.  
**R.** Et non supplantabún-  
tur gressus ejus. In corde.  
**Glória Patri.** Lex Dei.

**V.** Justum deduxit Dó-  
minus per vias rectas.  
**R.** Et ostendit illi regnum  
Dei.

**IN II VESPERIS.**  
**O**mnia, ut in primis, præ-  
ter sequentia.

**V.** Justum deduxit.  
**Ad Magnificat, Añã.** Hó-  
die Fructus, sarcina, car-

nis depósita; cœlum læ-  
tium ascéndit. Hódie fortis  
athleta, victo mundo, co-  
mitántibus Angelis, coro-  
nátur. Hódie fidelis ser-  
vus, talénta sibi crédita  
duplicata repórtans, in  
glóriam Dómini sui gau-  
dens introducitur, alle-  
luia.

**Comm. S. Evaristi  
Papæ et Mart. ut in Bre-  
viario.**

DIE XXIX. OCTOBRIS.

S. Narcissi  
Episc. et Mart. Patroni  
Civitatis ac Diocesis  
Gerundensis.

Duplex j. classis cum  
Octava in Diocesi Ge-  
rundensi.

Juxta Decr. 3. Febr. 1870.

IN I. VESPERIS.

**Añã. 1.** Narcissus curá-  
vit gentem suam, et libe-  
rávit eam a perditíone.

**Psalmi ut in j. Vesp-  
ris de Comuni Aposto-  
lorum.**

**2.** Ipse est directus divi-  
nitus in poeniténtiam gen-  
tis, et tulit abominatiónes  
impietátis.

**3.** Fuit máximus in sa-  
lútem electórum Dei, ex-  
pugnare insurgéntes ho-  
stes.

**4.** Invocávit Dóminum  
omnipoténtem in oppu-  
gnando hostes circum-

stántes undique, in obla-  
tíone agni inviolati.

**5.** Consummatíone fun-  
gens in ara, libávit de  
sanguine uvæ: effudit in  
fundaménto altáris odó-  
rem divinum excélsio prin-  
cipi.

**Capitulum.** **Mach. 15.**

**I**ncó est in fratrum  
amátor et pópuli  
Israel: hic est, qui  
multum orat pro pópulo,  
et univérsa sancta civi-  
tate.

**Hymnus.**

**F**estivis hódie laudi-  
bus incolytum  
Narcissum púeri concinite  
ac senes:

Linguis omnibus, urbs no-  
stra, canéntibus  
Patrónum célebra tuum.

**D**um nostram prémerent  
carnifices fidem,  
Ac strages fieret christiá-  
dum, datus

Nobis hic fuit invictus  
Episcopus,

Christi ut dúceret agmina.  
Zelo ardente plagas ra-  
ptus ad éxteras

Afram cum Eunómia,  
Digna et Hilária,  
Narcissus Zózimum ac in-  
númeram fere

Sanctórum ségetem pa-  
rat.  
Ast ex indigenis largior  
est seges

Nostrórum pietas inclyta  
cívium: